

majoratus, nec teneatur aestimationem vel expensas solvere, nec in tali commodum vel lucro uxor prædicti successoris habet partem lucrorum. Quia illa debet tantum intelligi in sumptibus & expensis ædificiorum, non in aliis. Et quæ sit ratio illius legis? Vide super ea. Ex quibus notabiliter infero, quod licet majoratus & constitutio ejus incepta ab ipso prædecessore debitor; tamen, si debita contraxit postquam majoratus & ejus constitutio fuit irrevocabilis mediante traditione, vel ex aliis causis contentis in his l. Taur. non tenetur successor illa solvere; quia alias posset per indirectum majoratum revocare. (f)

73 Decimonono principaliter quæro an sententia lata contra possessorem majoratus, per quam privatur majoratu, & declaratur ad alium pertinere, præjudicet sequenti successori, etiam non citato nec vocato? Et videtur quod non: Primò, quia sicut per contractum, vel delictum, vel aliam causam non potest possessor bona majoratus alienare, ita etiam non poterit per quasi contractum, qui inducitur litigando in iudiciis, argumento textus in l. 3. §. Idem scribit, ff. de Peculio, & ibi notant Bart. Bald. & communiter DD. Secundò facit textus in l. In diem, ff. de Aqua pluviæ arcend. ubi habetur, quod successor particularis, ad quem res secundariò pertinet, & habet jus vespem de futuro, debet consentire in alienatione rei; & ad hoc summè notant & commendat ibi Gloss. ordinaria, Bart. Bald. Angel. Imol. Cuman. Rom. & communiter DD. facit etiam text. in l. Nihil. §. Omnibus, ff. de Legat. 1. text. in l. Quoties, 11. Cod. de Fideicommiss. ubi habetur, quod in alienatione rei restitutioni subjectæ debent consentire illi ad quos res debet pervenire, alias non valet alienatio; & in expressò ita tenet Bart. in l. Filiusfamilias, §. Divi, ff. de Legat. 1. 5. column. num. 9.

Sed his non obstantibus, ego teneo contrarium, imò, quod talis sententia præjudicet sequenti successori, etiam non vocato nec citato: Primò per text. in l. 1. §. Denuntiari, ff. de Ventre inspici. ubi, quando lis vertitur super hereditate, vel bonis alicujus defuncti, solum est citandus hæres universalis, ad quem principaliter & immediatè spectat negotium, non verò substitutus, vel alter cui secundariò bona possunt

(f) Idem tenet Peralt. in l. 3. §. Qui fideicommissum, num. 124. de Hered. instit. idem simul mecum referens, dicensque sic pluries practicum ac intellectum fuisse, tenet Molin. lib. 1. capit. 10. num. 11. Mieres in tract. de Majorat. 1. part. quæst. 24. num. 34. & 35. licet contrarium tenuerit Angel. in tract. de Meliorat. in l. 5. gloss. 4. num. 2. cui latè satisfaciunt Velazq. de Avend. in l. 21. Taur. num. 15. & 16. meam sententiam defendens.

pertinere; & ad hoc notant & commendat ibi DD. Secundò facit talis doctrina & regula generalis; quod quando processus vel causa principaliter tendit & ordinatur in præjudicium certæ personæ, licet in consequentiam resultet præjudicium tertio, non propterea ille tertius est citandus ut compareat & assistat in causa, sed tantum primus, quem principaliter negotium tangit; ita probat textus notabilis & expressus in l. Cum filiusfamilias, ff. de Verbor. obligation. & ibi summè notat & commendat Angel. de Perus. 1. column. & post eum communiter alii DD. Tertio & in terminis facit; quia sententia lata in querela inofficiosi testamenti contra hæredem universalem nocet & præjudicat fideicommissario substituto, etiam non citato; textus est singularis in l. Si patroni filius, §. fin. ff. ad Trebell. & ibi notant & commendat communiter DD. Notant etiam & commendat Bart. Paul. & communiter alii DD. in leg. 1. Cod. de Inoffic. testam. Quartò pro hac sententia & conclusione facit text. in cap. 1. §. Si Vasallus et fin. si de feudo defuncti, contentio sit inter dominum & agnatos Vasalli, in lib. 1. Feudor. ubi disponitur, quod si Vasallus agat vel conveniatur super re feudali, valet iudicium & sententia, etiam in præjudicium successoris, ad quem feudum debet pervenire; text. in cap. 1. de Controvers. inter Vasallum & alium de Benefic. Et in expressò in nostro casu & quæstione, scilicet, quod talis sententia definitiva lata in bonis majoratus præjudicet successori, tenet Joan. de Imol. in l. Filiusfamilias, §. Divi, ff. de Legat. 1. 2. column. Angel. de Perus. ibi, fin. col. Joan. Crot. num. 42. Ferd. de Loazes, num. 62. communiter modern. Albert. in Proæmio Digest. veteris §. Discipuli, 1. column. Idem Alberic. in l. penultim. Cod. de Donat. inter vir. & uxor. Alexand. in l. Sepe, ff. de Re judic. 42. col. & ibi modern. Anchar. in cap. Licet, de Voto, penultim. column. num. 17. Mart. de Laud. in tract. Major. 46. quæst. Confirmatur; quia sententia lata contra maritum in re dotali, agendo, vel defendendo, nocet & præjudicat uxori, nisi dolo succubuerit, & non sit solvendo; quia censetur procurator in rem suam: Ita probat text. in l. Si pro re pupilli, §. 1. ff. de Eviction. textus in l. Si mater, §. Hoc jure, ff. de Except. rei judic. text. in l. Titio centum, §. fin. ff. de Condit. & demonstr. text. in l. &

eleganter, §. penultim. ff. de Dolo, text. in l. Pater in fine, ff. de Dote præleg. textus in l. Dote ancillam, Cod. de Rei vindic. & ibi tenent Guill. Cynus, Bald. Paul. Salyc. & communiter DD. Unum tamen est, quod si ipse successor vellet comparere pro suo interesse in iudicio, & adesse causæ, & probationes inducere, poterit hoc facere, etiam invito possessore; quia quando aliqua causa agitur principaliter inter aliquos, cujus eventus potest alteri in consequentiam præjudicare; potest ille tertius pro jure suo comparere, & probationes adducere: textus est singularis in l. Principaliter in fin. Cod. de Liberal. caus. & ad hoc notat & commendat ibi Bald. & communiter alii DD. Melior textus in l. Si suspecta, ff. de Inoffic. testam. & vide Covarrub. in Pract. quæstionibus quæst. 28.

74 Vigesimo principaliter quæro, si possessor majoratus decessit fructibus pendentibus, an pertineant successori majoratus, an verò pertineant omnibus hæredibus & successoribus, ut dividantur inter eos tanquam bona defuncti. (g) Et videtur quod dividantur inter eos, sicut alia bona communia & libera habita à defuncto: Primò, quia tales fructus sunt res mobiles, in quibus non consistit majoratus; unde meritò inter eos debent dividi, sicut aliæ res mobiles non vinculatæ nec subjectæ, restitutioni, argumento text. in l. Sciendum, §. 1. ff. Qui satisd. cogant, textus in l. 1. ff. ad Syllan. textus in l. final. versic. penultim. ff. de Requirend. reis, cujus verba sunt, sed & divus Trajanus inter moventia fructus quoque haberi rescripsit. Secundò facit textus mirabilis, & expressus in cap. 1. §. His consequenter. Hic finitur lex, deinde consuetudines regni incipiunt, in lib. 2. Feudor. ubi disponitur, quod mortuo Vasallo sine hærede masculino, taliter quod feudum debeat amitti, si decedat ante Martium, omnes fructus pertinent domino; si verò post Martium usque ad Augustum, pertinent hæredibus, vel successoribus suis, & dividantur inter eos tanquam bona propria & communia. Ergo ita dicamus in nostro casu, quod mortuo possessore majoratus, fructus pendentes pertineant hæredibus & successoribus ejus. Et de illo textu & de ejus decisione mirantur ibi DD. & ponunt varias & diversas rationes; & illum

textum in sua decisione reputat singularem in jure Angel. in l. Defuncta, ff. de Usufructu.

Sed his non obstantibus, ego teneo contrariam sententiam, imò quod indistinctè, mortuo possessore majoratus in qualibet parte anni, fructus pendentes pertineant soli successori majoratus, non aliis hæredibus vel successoribus. Pro qua sententia & conclusione primò facit textus notabilis & expressus in l. Fructus pendentes, ff. de Rei vindication. cujus verba sunt: Fructus pendentes pars fundi esse videntur, & ibi notat & commendat Glossa ordinaria, Alber. & communiter DD. textus in l. Cum filius, §. Dominus, ff. de Legat. 2. textus in l. Si servus communis, §. Locavi, ff. de Furtis, textus in l. In falcidia placuit, ff. Ad legem falcid. ex quo dicit Alber. in dict. l. Fructus pendentes, ff. de Rei vindic. quod tales fructus censentur res immobiles, sicut ipse fundus cui cohærent. Nec obstat textus in dict. l. final. versic. penultim. ff. de Requirend. reis, cum simil. quia intelliguntur, quando fructus sunt jam separati à solo: Tenet etiam Glossa ordinaria juncto textu in cap. 1. §. fin. de Feudi cognition. in lib. 2. Feudor. ex quo etiam & secundò dicit Bald. in l. 1. column. penultim. Cod. de Fruct. & litium. expen. quod in petitione reali vel personali fundi veniunt & includuntur fructus pendentes, absque aliqua petitione vel declaratione. Tenet etiam Angel. in §. 1. Instit. de Offic. jud. 2. column. num. 4. (h) Ergo sicut fundus vel res mobilis pertinet successori majoratus, ita etiam fructus pendentes debent ei pertinere; quia non censentur res diversæ & distinctæ, sed una & eadem res, cui altera cohæret; & istud est inconveniabile fundamentum.

Secundò & in specie pro hac sententia & conclusione facit textus bene notandus in leg. Defuncta, ff. de Usufructu. ubi habetur, quod si fructuarius vel fructuaria decedat fructibus jam collectis; ipsi, vel pensiones eorum pertinent hæredibus ejus, licet pensionis dies, vel terminus non cesserit; si verò fructibus pendentibus decessit, ipse fundus cum fructibus pertinet ipsi domino proprietatis, cui fundus debet restitui: Et ad hoc illum textum in sua decisione notant & commendat Odofred. Bar-

(g) De hac quæstione videndus est Mieres in tract. de Majorat. 4. part. q. 24. per totam. Molin. in consuetudin. Paris. 1. part. §. 1. gloss. 8. n. 10. fol. 42. Covarrub. lib. 1. Variarum, cap. 15. num. 14. Molin. lib. 3. cap. 11. quasi per totum.

(h) Contrarium videtur tenere Covarrub. lib. 1. Variarum, cap. 15. num. 14. & Burg. de Paz in Proæmio legum Taur. num. 74. verb. Præterea, Avend. responso 5. num. 4. fol. 12. Molin. de Primogen. lib. 13. cap. 11. num. 11. & vide omnino Joan. Garc. qui mecum hanc partem defendit de expensis & meliorat. cap. 16. num. 6. Anton. Gom. ad Leg. Tauri.

tol. Albert. Bald. Angel. & communiter DD. textus in *l. Si fur. eod. tit. text. in leg. Si usufructuarius mensem. ff. Quibus mod. usufruct. amitt. textus in leg. In singulos, in fin. ff. de Adim. legat. textus in l. Qui scit, versic. Præterea. ff. de Usuris, textus in §. Is verò ad quem, Institut. de Rerum divisione.*

Tertio facit textus etiam notabilis cum materia, in *l. Julianus. §. Si fructibus. ff. de Action. empt. ubi habetur, quòd si quis vendidit fundum alteri, fructibus in eo pendentibus; tales fructus pertinent emptori, tamquam pars propria fundi, & nullo modo pertinent venditori; & ad hoc ibi notant Glossa ordinaria, Bartol. Alber. Paul. Salycet. & communiter DD. Probat etiam text. in *l. fin. ff. de Jure fisc. & ibi notat Bart. & communiter DD. Ex quibus juribus inferebat Bald. in cap. 1. fin. column. in fin. de Pace tenend. & ejus violat. quòd si per legem vel statutum bona tantum mobilia debeant confiscari, bona verò immobilia non, sed hæredibus reservari, & delictum sit commissum fructibus pendentibus; non debent confiscari fructus, sed pertinent hæredibus, sicut ipsæ res immobiles quibus adhærent; quia pars earum censentur esse: si verò fructus consistunt in pensionibus, confiscantur pro rata temporis cessi: Et certè est notanda & expressa decisio in nostro proposito.**

Quarto facit textus in *l. fin. §. Non solum, & in §. Fructus. ff. de His quæ in fraud. cred. ubi disponitur, quòd in casibus, in quibus fundus vel res immobilis alienata in fraudem revocetur, revocatur & debet restitui cum fructibus pendentibus; quia censentur una & eadem res; & ibi notant Bartol. & alii DD. Idem probat textus in *l. Ait Prætor. §. Per hanc, & præterea, eod. tit. textus in l. Videamus. 38. §. in Faviana. ff. de Usuris.**

Quinto facit, quia quando legatur fundus, vel res immobilis, semper debet restitui legatario cum fructibus pendentibus tempore mortis testatoris; quia tales fructus sunt qualitas fundi, fertilitas, & incrementum ejus: non verò pars à re separata; ita probat textus in *leg. Nihil. §. Fructus. ff. de Legat. 1. juncta gloss. & commun. opinione DD. & probant jura superiora; & in expressò ita tenet Bald. in *l. 1. Cod. de Usuris & fruct. legat. 2. column. n. 12.* Sexto facit viva & subtilis ratio; nam cum in successorem majoratus transeat possessio civilis & naturalis per *leg. 45. infra eod. & sola civilis possessio sit causa acquisitionis fructuum, ut latè ibi dixi;**

sequitur quòd talis successor acquirit prædictos fructus.

Nec obstat, quòd fructus sunt res mobiles, in quibus non consistit majoratus, ut dixi in primo fundamento pro contraria parte: Quia illud est verum & procedit, quando sunt jam collecti & separati à solo, ut statim proximè dicam. Nec obstat etiam secundum fundamentum adductum pro parte contraria de textu in *dict. cap. 1. §. His consequenter.* Quia ille textus non habet in se rationem, & tantum servabatur de consuetudine in materia feudali; (i) unde non procedit nec habet locum de jure communi in alia materia, secundum communiter DD. ibi, & secundum Alber. in *l. Defuncta. ff. de Usufruct. in fin. verb.*

Quod tamen limita & intellige, quando tales fructus rerum majoratus actualiter sunt pendentes; secus verò si jam sunt collecti, & à solo separati; quia tunc reputantur res mobiles, & nullam habent naturam vel qualitatem rerum majoratus. Ex quo deducitur & infertur, quòd debent dividi inter omnes hæredes tanquam alia bona mobilia. Secundò deducitur & infertur, quòd possessor majoratus licet potest tales fructus vendere, alienare, & in eis quidquid vellet disponere; & in eis potest fieri contra eum executio per contractum, vel delictum; & denique de eis ita in omnibus judicatur, sicut de aliis bonis mobilibus non vinculis, nec subjectis restitutioni: Imò, quòd magis est, etiamsi tales fructus adhuc sint pendentes, vel nondum nati, potest possessor majoratus super eis disponere, alienando, vel obligando in tempus quo nascantur & colligantur; & in eis potest sibi fieri executio per contractum, vel delictum, vel ex qualibet alia causa; ita probat textus notabilis in *l. final. versic. penultim. ff. de Requirendis reis, cujus verba sunt. Sed & divus Trajanus inter moventia fructus quoque haberi rescriptit. & ibi notat Alber. & communiter DD. text. in l. In edibus. §. Ex rebus. ff. de Donation. ubi longè differt ipsa res donata à fructibus ejus collectis, vel à fructuum perceptione. Textus in *l. Nec emptio. ff. de Contrah. empt. ubi habetur, quòd valet contractus super fructibus nascituris. Textus in l. Qui pendentem. ff. de Action. empt. textus in l. Interdum. ff. de Verbor. obligat. textus in l. 1. & quæ nondum. ff. de Pign. text. in l. 1. ff. de Condition. & demonstrat. text. cum materia in l. Statius Florius. §. Cornelio felici. ff. de Jure fisci. textus in l. final. Cod. de**

(i) Præterea fructus eo tempore, scilicet post Martium, jam coliguntur, seu collecti esse intelliguntur; cum eo tempore generaliter fructus percipiuntur.

de Administrat. tut. ubi dicitur, quòd tutor vel curator, licet non possit alienare res immobiles minoris sine decreto, tamen bene potest alienare fructus earum rerum absque decreto & solemnitate, quia reputantur, & judicantur mobiles, & ibi ad hoc notant & commendant communiter DD. Textus valdè notabiliter & expressus in *l. Codicillis. §. Instituto. ff. de Legat. 2. ubi habetur, quòd ille qui est prohibitus alienare aliqua bona, non prohibetur cedere, alienare, vel obligare fructus, vel pensiones eorum, & ad hoc notant & commendant Glossa ordinaria, Bart. & communiter DD. Et in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Bald. licet non ita bene fundet in cap. 1. §. Donare qualiter feudum alienari possit, 1. col. numer. 1. idem Bald. in *Authentic. & qui jurat. 7. column. num. 32. Cod. de Bonis Authent. jud. possess. Jac. de Sanct. Georg. in l. Datis fructus. §. Si fructus. 1. column. numer. 2. ff. de jure dotium, idem Bald. in l. Pro hærede. §. Si quid tamen, de acquir. hered. & idem Bald. in cap. 1. fin. column. num. 24. an agnatus vel filius, per textum ibi, quem dicit satis notabilem; Bart. in l. Si finita. §. Si de vectigalib. 2. col. num. 5. ff. de Damn. infect. & ibi communiter DD. Roman. notab. in l. Usufruct. Specul. titul. de Primo decreto. §. Restat, versic. Quid si reus non habuit, cum pluribus, versic. Sequentib. idem Specul. in titul. de Execution. sententia. §. Sequitur, versic. Quid si habet tantum feudum. Palac. Rubeus in sua repetitione. fol. 38. 2. col. idem Palac. Rubeus fol. 75. 3. column.**

75 Vigesimo primò principaliter quæro, si possessor majoratus decessit, relicto filio primogenito successore majoratus, & relicto aliis filiis, & relicta uxore matreque eorum dividite, & prædicti filii minores sint agentes; quis teneatur eis præstare alimenta, an ipse filius primogenitus major qui successit in majoratu, an verò ipsa mater dives? Et ista quæstio est valdè subtilis & quotidiana in isto Regno: In qua videtur dicendum, quòd filius primogenitus successor in majoratu teneatur prædictos filios fratresque suos minores alere, (k) & probatur per sequentia: Primò, quia onus alimentorum pertinebat patri in vita de jure naturali & positivo, ut in *l. Si quis à liberis. ff. de Liber. agnosc. per totam leg. Cum simil. ergo eodem modo tenetur filius primogenitus, ad quem omnia bona vel major pars eorum pervenerunt virtute majoratus, cum ad eum debeant transire cum illo onere; argumento text.*

in dicta *l. Si quis à liberis. §. Item. rescriptum est. ff. de Liber. agnosc. & ibi notat & commendat Bartol. & communiter DD. imò, quòd magis est, si mater aluisset prædictos filios, posset actione negotiorum gestorum repetere ab ipso filio majori, sicut posset repetere à patre si viveret. Et in expressò, ex isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem tenet originaliter Cyn. in *l. Alimenta. Cod. de Negot. gestis, fin. quæst. ubi dicit, quòd ita consuluit in quæstione de factis; & ibi Bald. 1. column. numer. 3. Paul. de Castr. final. quæstion. Roder. Suar. in repetitione, leg. Quoniam in prioribus, Codic. de Inoficios. testam. fol. 64. 3. column. versic. Ex quibus infertur. Et ista opinio servatur in practica in Cancellaria regia, de illo ibi ita fuit judicatum in pluribus causis occurrentibus.**

Sed his non obstantibus, ego firmiter teneo contrariam sententiam, imò quòd in prædicto casu mater teneatur prædictos filios minores egentes alere; & à fortiori, si aluit, non possit repetere; y per consequens, filius primogenitus qui successit in majoratu, non teneatur eis alimenta præstare, nec alimenta jam præstita solvere: Primò, quia mortuo patre, mater tenetur de jure alere filios: text. formalis & expressus in *l. Si quis à liberis. §. Utrum. ff. de Liber. agnos. cum simil. & ibi notat Bartol. & communiter DD. & licet frater teneatur alere fratres inopes, & sorores dotare, ut probat text. in *l. Qui filium. ff. Ubi pupil. educar. deb. & notat ibi Bald. in 2. lectur. Albert. & communiter DD. antiqui; text. in l. 1. §. Sed nonnullos. ff. de Tutel. & ratio dist. text. in l. Tutor. secundum dignitatem. §. fin. ff. de Administrat. tutor. text. in l. Cum plures. §. fin. eodem titul. & ibi Glossa ordinaria & DD. antiqui; text. in l. Quamvis. ff. Solut. matr. text. in l. Mutus. §. Manente. ff. de Jure dot. tenet Bart. & communiter DD. in dict. *l. Si quis à liberis. §. Utrum. ff. de Liber. agnoscend. Alberic. in eadem l. 3. column. vers. Sed an frater, Cyn. Alber. & communiter DD. in l. 1. Cod. de Alend. liber. Gloss. ordinaria in l. Non omni, Cod. de Administrat. tutor. & ibi Cyn. Bald. Salyc. & communiter DD. Tamen quando concurrunt mater & frater, mater tenetur præstare alimenta, non verò frater; quia in ea urget & consideratur potentius jus sanguinis quam in fratre, ut probat text. in dict. §. Utrum. Item, quando solus frater reperitur, tunc tenetur non tamquam hæres, sed tamquam fra-***

(k) Idque tenet Lara de Alimentis in *l. Si quis à liberis. §. Si mater, de Liberis agnoscend. numer. 44. & 30.* Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

frater. Quod intellige, quando esset ex eodem parte, non aliàs, ut probat text. in *dist. leg. Cum plures*. §. *fin. ff. de Administration. tutor.* & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. Glos. etiam & communiter DD. in *l. Non omni. Codic. eod. titul. Roderic. Suar.* ubi dicit sic fuisse pronuntiatum, in *repetition. l. Quoniam in prioribus. fol. 64. 3. column. versic. Ex quibus, Codic. de Inoffic. testament. (1)*

Secundò pro hac sententia & conclusione considero subtile fundamentum: Nam aut majoratus fuit constitutus ab ipso patre præmortuò; & tunc de necessitate tenebatur relinquere & præstare alimenta aliis filiis, ut supra conclusum est: ergo jam pater onus legale adimplevit; & per consequens, licet postea prædicti filii veniant ad inopiam, illa obligatio quæ simul fuit extincta, amplius non reviviscit. Aut verò majoratus fuit constitutus ab antiquo, & tunc similiter constituens satisfecit legi, præstando alimenta filiis qui tunc vivebant, non verò futuris, fortè non natis, nec conceptis in ejus vita: Ergo nullo casu frater major primogenitus tenetur præstare alimenta ex persona patris vel obligatione paterna, nec ex propria persona tanquam frater: quia ille nunquam tenetur nisi in subsidium, non ex tantibus ascendentibus. Confirmatur etiam; quia si pater reliquit filiis integram legitimam, & majori vel alteri cætera bona; vel fortè omnes æqualiter instituat, & aliquis eorum veniat ad inopiam; certè alii fratres non tenentur eum alere pro rata tanquam hæredes, sed tanquam fratres & conjuncti; ergo in nostro casu & quæstione non tenetur filius primogenitus alere, stante matre; cum jam semel pater alimenta præstiterit. Et in expresso istam sententiam & conclusionem, licet non ita benè fundatam, tenent Petr. Jacob. Butr. Bartol. & antiqui, in *l. Alimenta, Cod. de Neg.*

(1) Et quod mater teneatur filios minores egentes alere, tenet etiam Molin. de *Primogeniis lib. 2. cap. 15. num. 68.* Matienz. in *l. 1. titul. 7. lib. 5. Recopili. glos. 2. num. 3.* & facit pro hac sententia text. in *l. 4. titul. 19. part. 4.* ubi onus alendi liberos, patre inope existente, vel aliàs deficiente, ad matrem atque avos maternos seu paternos transfunditur; nec in ea lege de fratre ulla fit mentio: Idèdque ex ea probabiliter dici potest, nedum matre dividite existente, sed etiam ea deficiente, fratrem majoratus possessorem non teneri alere fratrem, aut sororem inopem, si avi vel proavi paterni divites supersint, qui eos alere possint; solumque in eorum subsidium frater dives fratres atque sorores alere tenetur; sic ille textus est intelligendus, & in *l. Cum plures. §. fin. ff. de Administration. tutor. l. Tutor secundum dignitatem. ff. Eodem. leg. Cui filius, cum similib. ff. Ubi pupillus educari debeat.* Utrum autem mater possit repetere à majoratu alimenta præstata cæteris filiis, tradit post Alexandr. in *l. Alimenta, num. 11. Cod. de Negot. gestis.* Paul. & alii ibid. Decius & Alexandr. in *Authent. præterea, column. ultim. Cod. de Donat. inter vir. & uxorem, Socin. cons. 3. lib. 4. Greg. Lop. in l. 6. tit. 12. part. & remissivè Mieres in tract. Majoratus, quæst. 28. in 5. part. num. 10. & quæst. 2. num. 60. ad num. 75.* ibi: Quia ille nunquam tenetur, nisi in subsidium, &c. probat lex 4 tit. 19. part. 4. ubi Gregor. Glos. *Orosi es tenuto cada uno, &c.*

gest. meliùs & expressiùs Alexandr. ibi, *fin. quæstione.* Tenet etiam expressè Joan. Andr. in *Addition. ad Specul. in rub. de Statu monachor.* tenet etiam expressè Bartol. in *l. Si quis à liberis. §. Item rescriptum. ff. de Liber. agnoscen. 1. quæst. num. 2.* & ibi alii DD.

76 Vigesimo secundo quæro, an verus successor & possessor majoratus per tempus vitæ suæ sit dominus, antequàm veniat dies vel conditio restitutionis? Et videtur quòd non: Primò per textum in *l. fin. §. Sed quia, Codic. Commun. de leg.* ibi: *Rem quam in suis bonis parè non possidet, &c.* ubi probatur, quòd ille qui habet rem subjectam restitutioni, non dicitur dominus illius rei, etiam antequàm veniat dies vel tempus restitutionis; & ad hoc notant, & commendant ibi Cyn. Petr. & alii DD. Secundò per textum in *l. 2. §. Hoc interdum, et 2. ff. Ne quid in loco publico,* ubi habetur, quòd Rex vel Imperator non est verè nec plene dominus rerum fiscalium suæ coronæ pertinentium.

Sed his non obstantibus, ego teneo contrarium, imò quòd talis successor & possessor majoratus sit dominus ante tempus restitutionis. Pro qua sententia & conclusione primò facit textus singularis in jure in *l. Generaliter. §. Sub conditione, ff. Qui & à quibus,* ubi expressè probatur, quòd ille qui possidet rem subjectam restitutioni in diem vel sub conditione, interim est dominus; cujus verba sunt: *Sed conditione servus legatus pendente conditione pleno jure hæredis est, sed nullam libertatem ab eo consequi potest, ne legatario injuria fieret, & illum textum ad hoc notabiliter commendat Bald. licet corruptè alleget, in leg. Voluntas. Codic. de Fideicom. fin. column. num. 10.* idem Bald. in *l. Julianus, 2. sectur. ff. de Rei vind. Jas. in l. Servo legato. §. 1. num. 4. ff. de Legat. 1.* Secundò facit text. in *l. Julianus. §. fin.*

in *finav. verb. ff. de Rei vindication.* ibi: *Quia plenum jus incipit habere.* Text. in *l. Si post acceptum, eod. titul. text. in l. Non idèd minus. eod. tit. cujus verba sunt: Non idèd minus rectè quid nostrum esse vindicamus, quòd abire à nobis dominium speratur, si conditio legati vel libertatis extiterit.* Textus in *l. Ancillam, Cod. de Action. empt. text. in l. Si servus furtivus. ff. de Condit. furtiv. ubi, licet soli domino illa actio competat, tamen datur hæredi vel domino, qui habet rem subjectam restitutioni, Text. in *Authentic. de Restitution. Fideicom. versic. Volo.* ibi: *Possessionem & proprietatem, collation. 6. text. in l. fin. Codic. de Legat. text. in Authentic. cui relictum, Codic. de Indic. viduit tollend. (m)* Nec obstat. text. in *dist. leg. fin. §. Sed quia, Codic. Commun. de Legat. cum simil. supra allegat.* quia debent intelligi, quòd ille qui habet rem subjectam restitutioni, non est dominus quoad hoc ut possit rem vendere vel alienare; sicut aliàs videmus, quòd maritus constante matrimonio benè est dominus, item & minor 25. annorum, item & aliæ personæ; & tamen non possunt alienare: ut in *toto tit. & Cod. de Fund. dotal. cum simil. & ita apertè solvit. Bald. in dist. 1. fin. §. Sed quia, 1. oppos. & communiter DD.* ibi. Ex qua sententia & conclusione primò infero notabiliter, quòd si res majoratus sint pœnes aliquem tertium, potest successor majoratus, qui fortè amisit possessionem earum, eas vindicare tanquam dominus; vel si fortè non amisit possessionem, sed eam habet, potest agere remedio possessorio vel petitorio rei vindicationis.*

77 Vigesimo tertio quæro, utrum valeat argumentum de feudo ad majoratum? quia ista quæstio est valdè necessaria in ista materia. Et videtur quòd non, quia jura feudorum sunt quædam consuetudines particulares, quæ tantum debent servari in materia feudorum, ac eorum causis; non verò in aliis: Ita expressè tenet Bartol. in *l. Ut jurisjurandi. §. Si liberi, 1. column. numer. 4. ff. de Oper. liber. Bald. in præludiis feud. 3. col. numer. 5.* idem Bald. Imol. & alii DD. in *capit. 1. de Feudis.* Sed breviter & resolutivè ego teneo contrariam sententiam, nisi sit diversa ratio: Primò, quia sicut feudum est inalienabile, & semper vadit in certas & determinatas personas, secundum formam & dispositionem constituentis; ita eodem modo

majoratus; ut patet & probatur ex definitione feudi: Nam feudum est: *jus, vel beneficium, quod alicui datur vel conceditur super re immobili, cujus proprietates apud concedentem remanet, usufructus verò ad accipientem transit, ut ad eum, hæredesque suos masculos, & fœminas, si de eis nominatim dictum sit, in perpetuum pertineat, ad hoc ut ipse & hæredes sui fideliter domino servire teneantur, sive servitium illud nominatim quale esse debeat sit expressum, sive indeterminatè sit permissum.* Ex in expresso istam definitionem ponit text. in *cap. 1. §. final. versic. Hujus autem, ex quibus causis feud. amittatur, in lib. 1. feud. & ibi notat Bald. & communiter DD. Feudistæ; y per illum textum istam definitionem ponit Bald. in *præludiis. 2. column. num. 8.* Jac. de Belloviso in *præm. feud. 2. col. quæst. Jacob. Alvarot. in præm. feudor. 4. column. 5. quæstion. Mart. de Laud. etiam in præmio feud. 2. column. 1. quæst. Francisquin. Curtius junior in tract. de Feud. 6. quæst. princip. Jason. de S. Georg. in tract. Feud. in part. in feudum. fol. 23. idem Jacob. de S. Georg. in quæstionib. feudilib. quas ponit in *fin. ff. Veter. 1. quæstion. Jas. in tract. Feud. 3. col. 2. quæst. Hostiens. in summ. extra de feudis, 1. col. vers. Quid sit feudum, Cardin. in cap. 2. ejusdem tit. 4. col. num. 55. & communiter DD.***

Secundò, quia quando jura feudalia aliquid disponunt, quod non est contra regulas juris communis, sed secundum ipsas, vel præter; isto casu jura feudalia possunt allegari & applicari in alia simili materia; istam doctrinam ponit notabiliter Alex. in *l. Divortio. §. Si fundum, 1. col. in fin. ff. Solut. matrimon. Tenet etiam notabiliter & meliùs quam alibi Francisquin. Curtius in tract. Feud. 8. col. n. 8.* Istam etiam doctrinam videtur tenere Bald. in *cap. 1. §. Quid ergo, 2. col. n. 3. de Investitura, de Re aliena facta, ubi dicit, quòd ille textus loquens in feudo, habet etiam locum in emphyteusi, cum contineat jus commune. Confirmatur etiam ex doctrina notabili Innocent. in *cap. Dilecta de Offic. Archidiacon. 2. column. num. 6.* ubi dicitur; quòd consuetudo odiosa, vel contra jus, non est extendenda; si verò sit æquã, & laudabilis, & fundata in aliqua justa ratione, benè potest extendi; idem Innocent. & alii DD. in *cap. fin. de Consuet. Pro qua sententia & conclusione facit bonus text. in cap. Quod non ratio-**

(m) Idem probat Pinell. in *l. 1. 2. part. numer. 5. Codic. de Bonis maternis, Gregor. Lop. in l. 7. verb. T el señorio, in fin. tit. 4. part. 5. Menchac. de Success. creation. §. 10. num. 87. in fin. Palac. Rub. in l. 46. Taur. num. 2. Padill. in leg. In provinciali, Cod. de Servit. & aqua, num. 41. Molin. lib. 1. de Primogenit. cap. 7. num. 8. & cap. 19. num. 4. cum sequentibus, Matienz. in l. 6. tit. 7. lib. 5. gloss. num. 13.*